CANDIDO LECTORI S.

Scio equidem, Benevole Lector, plures eximios viros idem quod ego, iamdudum tractasse argumentum. Verùm cùm plerique in hac purgationis materia vel sint nimis copiosi, vel eam, mira novitatis & arrogantiæ cupiditate ducti, tantis involvant difficultatibus, ut se Tyro medicinæ, non sine magno temporis omnium rerum pretiosissimi dispendio, & ingenti laborum mole, vix possit inde extricare, & artis nostræ Principes Hip. & Gal. sparsim eius meminerint: libuit ex his floscules tantùm colligere, eosque loca exactè in margine assignando, & ipsa authorum, vel eorum interpretum verba retinendo, huic nostro tractatui ordine concinno inserere, & refutatis falsis opinionibus, quam verissima sit Hip. & Gal. de attractione purgantium medicamentorum sententia, paucis ostendere. Nil moror malevolorum calumnias, qui quidvis

quidvis faciliùs carpere, quàm imitari, aut facere solent. Sufficit mihi, bonis, & rectè iudicantibus laborem meum, non ostentationis, aut auræ popularis captandæ gratiâ sed solo benè de multis promerendi studio susceptum, & hortatu Virorum de me optimè meritorum typis publicis exscriptum, probari. Te quoque, Lector sincere, obtestor, ut priùs, quæ conscripsimus, diligenter legas, lecta perfectè cognoscas, ac demum de cognitis candidè iudices.

Vale.